

## CAPUT XV.

(a) **E**t confestim mane consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus, & scribis, & universo concilio, vincientes Jesum, duxerunt, & tradiderunt Pilato. Et interrogavit eum Pilatus: Tu es Rex Judæorum? At ille respondens ait illi, Tu dicis. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. Pilatus autem rursus interrogavit eum, dicens: Non respondes quicquam? Vides in quantis te accusant? Jesus autem nihil amplius respondit, ita ut miraretur Pilatus.

(b) Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vincis quemcumque petissent. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vincus: qui in seditione fecerat homicidium. Et cum ascendisset turba, cepit rogare, sicut semper faciebat illis. Pilatus autem respondit eis, & dixit: Vultis dimittam vobis Regem Judæorum? Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis. Pilatus autem iterum respondens ait illis: Quid ergo vultis faciam Regi Judæorum? At illi iterum clamaverunt, Crucifige eum. Pilatus vero dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, Crucifige eum. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Jesum flagellis caesum ut crucifigeretur.

(c) Milites autem duxerunt eum in atrium pratorii, & convocant totam cohortem, & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam, & ceperunt salutare eum, Ave Rex Judæorum. Et percutiebant caput ejus arundine, & conspuebant eum, & ponentes genua, adorabant eum. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis.

(d) Et educunt illum, ut crucifigerent eum. Et angariaverunt praterentem quempiam Simonem Cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandri, & Rufi, ut tolleret crucem ejus. Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpretatur Calvaria locus. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum, & non accepit. Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Et erat titulus causæ ejus inscriptus, Rex Judæorum. Et cum eo crucifigunt duos latrones: unum à dextris, & alium à sinistris ejus. Et impleta est Scriptura quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est.

(e) Et praterentes blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reedificas. Salvum fac te metipsum, descens de cruce. Similiter & summi sacerdotes illudentes ad alterutrum eum scribis dicebant: Altos salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Christus Rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus, & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei.

(f) Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt super totam terram usque in horam nonam. Et hora nona exclamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli lamma sabachthani: quod est interpretatum Deus meus, Deus meus, ut quid de reliquisti me? Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat. Currens autem unus, & implens spongiam aceto, circumponensque calamo, portum dabat ei, dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum. Jesus autem emissit voce magna, & expiravit.

(g) Et vellum templi scissum est in duo, à summo usque deorsum. Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat. Erant autem & mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi minoris, & Joseph mater, & Salome; & cum esset in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei; & alia multa, quæ simul cum eo ascenderant Hierosolymam.

(h) Et cum jam sero esset factum, quia erat parasceve, quod est ante sabbatum, venit Joseph ab Arimathea nobilis decurio, qui & ipse erat expectans regnum Dei. Et audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. Pilatus autem mirabatur, si jam obisset. Et accersito Centurione, interrogavit eum, si jam mortuus esset. Et cum cognovisset à Centurione, donavit corpus Joseph. Joseph autem mercatus sindonem, & deponens eum, involvit in sindone, & posuit eum in monumento quod erat excisum de petra, & advolvit lapidem ad ostium monumenti. Maria autem Magdalene, & Maria Joseph aspicebant ubi poneretur.

Beda

(a) **B**eda (Mare. 15. circ. princ. Comm.)

Habebant Judæi hunc morem ut quem adjudicassent morti, ligatum judici traderent: unde post condemnationem Christi subiungit Evangelista: Et confestim mane consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus, & scribis, & universo concilio, vincientes Jesum duxerunt, & tradiderunt Pilato. Attamen notandum, quod non tunc primum ligaverunt eum: sed mox comprehensum nocte in horto, ut Joannes declarat, ligaverunt. Theophylactus (ibid.) Tradiderunt itaque Jesum Romanis; sed & ipsi à Deo traditi fuerunt in manibus Romanorum, ut adimplerentur Scripturæ dicentes Plal. 27. Secundum opera manuum eorum retribuere illis.

Sequitur: Et interrogavit eum Pilatus: Tu es Rex Judæorum? Beda (super Tu es Rex Judæorum?) Pilato nihil aliud criminis interrogante, nisi utrum Rex Judæorum sit, arguunt impietatis Judæi, quod nec falso quidem invenire potuerint quod objicerent Salvatori. Sequitur: At ille respondens ait illi, Tu dicis. Sic responderet, ut verum diceret, & sermo ejus calumnie non pateret. Theophylactus (par. à princ. Comm. in cap. 15.) Dubiam enim responsum emisit: nam Tu dicis potest sic intelligi: Tu dicis hoc, sed ego non dico. Et nota, quod Pilato, qui invitus fert sententiam, aliqua in parte responderit; sacerdotibus autem, & principibus respondere noluerit, indignoque sermone suo judicaverit.

Sequitur: Et accusaverunt eum summi sacerdotes in multis. Augustinus de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 8. à med.) Lucas etiam ista crimina quæ falso objecerunt, aperuit: sic enim narrat cap. 23. Ceperunt accusare eum, dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributum dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse.

Sequitur: Pilatus autem rursus interrogavit eum, dicens: Non respondes quicquam? Vides in quantis te accusant? Beda (super Rursus Pilatus.) Ethnicus quidem est qui condemnat Jesum, sed causam refert in populum Judæorum. Sequitur: Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus. Nihil quidem respondere voluit, ne crimen diluens dimitteretur à præfide, & crucis utilitas differretur. Theophylactus (non procul à princ. Comm.) Mirabatur autem Pilatus: quia cum legis doctor esset, & eloquens, & potens responsum sua eorum accusationes infringere, non respondebat quicquam.

S. Th. Op. Tom. VIII.

(1) Al. dixisse.

Ex edit. P. NICOL. (a) Nihil tale in Glossa quæ nunc extat; sed insinuat in Joannem, quod quia ipsi liberati sunt in pascha, inde ista consuetudo nata est.

sed magis accusationes viriliter sustinebat.

(b) Beda (super Quid vultis ut faciam?) Multas liberandi Salvatorem Pilatus occasionem dedit: primo latronem justo conferens: unde dicitur: Per diem autem festum dimittere solebat illis unum ex vincis quemcumque petissent. Glossa. (a) Quod quidem solitus erat facere, ut gratiam populi captaret, & præcipue in die festo, quando de tota provincia Judæorum populus Hierosolymam confluxerat. Et ut major Judæorum improbitas appareat, describitur consequenter enormis culpæ latronis, quem Judæi Christo prætulere: unde sequitur: Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis vincus erat, qui in seditione fecerat homicidium; in quo ostenditur & ex gravitate culpæ notabilis, quod homicidium fecerat; & ex modo faciendi, quia cum perturbatione civitatis hoc fecerat, seditionem concitando; & etiam quia culpa ejus manifesta erat, nam & cum seditiosis vincus erat.

Sequitur: Et cum ascendisset turba, cepit rogare sicut semper faciebant illis. Augustinus de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 8.) Nulla questio est quod Matthæus tacet ipsos petisse, ut aliquis eis dimitteretur, quod Marcus hic dicit. Nihil enim interest si alius aliud dicit, quod alius commemorat. Sequitur: Pilatus ergo respondit, & dixit: Vultis dimittam vobis Regem Judæorum? Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Quæri potest quæ verba Pilatus dixerit, utrum quæ à Matthæo, an quæ à Marco referuntur? Aliud enim videtur esse, Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus? ut Matthæus refert cap. 27. aliud, Vultis vobis dimittam Regem Judæorum? ut hic dicitur. Sed quia Christos Reges dicebant, & qui dixit, Illum an illum, manifestum est eum (1) quæsitum, an vellet dimitti Regem Judæorum, id est Christum. Nihil autem interest semententiam quod hic tacuit Marcus de Barabba, hoc solum volens dicere quod ad Dominum pertinebat; quandoquidem in eorum responsum satis & ipse ostendit quem sibi dimitti voluerint; nam sequitur: Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis. Beda (super Pontifices concitaverunt turbam.) Hæret Judæis usque hodie sua petiit, quam tanto labore impetrarunt: quia enim data sibi optione, pro Jesu latronem, pro Salvatore interfectorem elegerunt, meritò salutem perdidit, & vitam, & atrocissimi, ac seditionibus se intantum subdidit ut par-

E 7

17

(c)

triam, regnumque suam, quod plus Christo amaverunt, perdidit; & libertatem, corpus, & animam nunquam (1) receperunt. Deinde aliam occasionem dicit Pilatus libelandi Salvatoris, cum sequitur: *Pilatus autem respondens ait illis: Quid ergo vultis faciam Regi Judaeorum? Augustinus de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 8.)* Jam satis apparet quod id Marcus velit ostendere, dicendo *Regem Judaeorum*, quod Matthaeus dicendo Christum: non enim dicebantur Christi Reges, nisi Judaeorum. In hoc enim loco secundum Mattheum dicitur: *Quid igitur faciamus, de Jesu qui dicitur Christus?*

Sequitur: *At illi clamabant, Crucifige eum. Theophylactus (non remote a primo Comment.)* Vide autem Judaeorum pravitatem, & Pilati commutationem; quamvis & ipse dignis sui condemnatione pro eo quod populo non resistebat. Illi namque clamabant, *Crucifige*; hic tentat humiliter ab illo praedicio errore Jesum; & ideo rursus interrogat: unde sequitur: *Pilatus autem dicebat illis: Quid enim mali fecit? Occasionem namque ex hoc sumere volebat ut Christum solveret innocentem. Bada (super At illi magis clamabant.)* Judaei vero infantiae suae satisfaciendo, interrogationi praedis non respondunt: unde sequitur: *At illi magis clamabant, Crucifige eum*; ut impletur illud Hieremias 12. *Facta est mihi hereditas mea sicut leo in silva; dederunt super me vocem suam.*

Sequitur: *Pilatus autem volens satisfacere populo, dimisit illi Barabbam, & tradidit Jesum flagellis caesum ut crucifigeretur. Theophylactus (super Volens turbam satisfacere.)* Volebat quidem satisfacere populo, id est eorum facere voluntatem, & non quod erat placitum justitiae, & Deo. Hieronymus. Hic duo hinc adfert: unus (2) apompeus, id est emissarius, cum peccato populi in desertum inferni absolurus dimittitur; alter pro peccatis absolutorum ut agnus occiditur. Pars Domini semper madatur, pars diaboli, qui est magister eorum, quod sonat Barabbas, effrenata in tartarum praecipitatur. Bada (super Pilatus tradidit Jesum flagellatum.) Jesus autem flagellatus non ab alio quam ab ipso Pilato intelligendus est: scribit namque Joannes cap. 19. *Apprehendit Pilatus Jesum; & flagellavit: quod quidem ideo fecisse credendus est, ut satiati poenis, ac opprobriis ejus, Judaei mortem usque finire desisterent.*

(c) *Theophylactus (super Milites introduxerunt eum.)* Militaris vana gloria semper inordinatis gaudens, & opprobriis, sibi propria ostendebat: unde dicitur: *Milites autem duxerunt eum*

(1) Al. reciperent. (2) Al. apompejus. P. Nicolai corrigat: Græco apompeus. illi aut

in atrium praeiorum, & convocant totam cohortem, id est totam ordinem militiae; & inducit eum purpura, sicut Regem, Bada (super Convocant cohortem.) Quia enim Rex Judaeorum fuerat appellatus, & hoc ei scribit, & sacerdotes crimen obicerant, quod sibi in populo Israelitico usurpare imperium, illudentes hoc faciunt, ut nudatum pristinis vestibus induant purpura, qua Reges veteres utebantur. Augustinus de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 9.) Intelligitur autem quod Matthaeus ait; Chlamydem coccineam circumdederunt ei, hic Marcum dixisse indatam purpura: pro regia enim purpura chlamys illa coccinea ab illudentibus adhibita erat; & est rubra quaedam purpura cocco simillima. Potest etiam fieri ut purpura etiam Marcus commemoraverit, quam chlamys habebat, quamvis esset coccinea. Bada (super Inducunt eum purpura.) Pro diademate autem ponunt ei coronam spinicam: unde sequitur: *Et imponunt ei plebentes spinicam coronam.* Pro scepro autem regali dant calamum, ut Matthaeus scribit; & adorant quasi Regem: unde sequitur: *Et ceperunt salutare eum: Ave Rex Judaeorum.* Et quod milites eam, quasi qui Deum seipsum falso dixerat, adorabant illudentes, patet ex hoc quod subditur: *Et percussit eum caput ejus arundine, & conspuerunt eum, & ponentes genua, adorabant eum*; quasi falso se dixisset Deum. Hieronymus (super Imponunt ei spinicam coronam.) Opprobria autem ejus nostrum ablutere opprobrium; vincula ejus nos liberos fecerunt; corona spineae capitis ejus, diademata regni adepti sumus; vulneribus ejus sumus sanati. Augustinus de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 9.) Apparet autem Matthaeum, & Marcum recapitulando ista posuisse, non quod tunc factum sit, cum eum Pilatus jam crucifigendum tradidisset, Joannes enim apud Pilatum dicit haec gesta. Hoc autem quod sequitur, *Et postquam illuserunt ei, exierunt eum purpura, & induerunt eum vestimentis suis*, in fine factum intelligitur, cum jam adduceretur ad crucifigendum. Hieronymus (super Inducunt eum purpura.)

Mystice autem vestimentis suis nudatur Jesus, id est Judaeis: purpura induitur, id est gentili Ecclesiae, quae de scopolis collecta est. Item ea exutus in fine scandalizante, Judaica rursus induitur plebe; cum enim intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus erit: Rom. 11. Bada (ibidem.) Vel in purpura qua indutus est Dominus, ipsa ejus caro quam passionibus obicit, insinuat; in corona vero quam portabat spinea, nostrorum susceptio peccatorum. Theophylactus (ibidem.) Induamus & nos purpuram stolam regalem: quia ut Reges

ambulare debemus calcantes super serpentes, & scorpiones, & suppediantes peccatum; Christiani namque dicuntur, id est sancti, sicut & tunc Reges uncti dicebantur. Sumamus, & coronam spinicam; id est festinemus coronari vita aeterna, & abstinentis, & puritate. Bada (super Percussit eum caput ejus.) Caput autem Christi percussit (1) qui cum verum Deum esse negant. Et quia per arundinem Scriptura solet confici, quasi arundine caput Christi feriant qui divinitati illius contradicentes, errorem suum confirmare auctoritate sacrae Scripturae conantur. Spuunt in faciem ejus qui gratiae praesentium verbis execrandis respuunt. Sunt & hodie qui eum certa fide ut Deum verum adorant; sed perveris actibus verba ejus quasi fabulosa despiciunt, ac promissa verbi illius temporalibus illecebris postponunt. Sicut autem Caiphias nescius dixit Joan. 11. 1., Oportet unum hominem mori pro populo; sic milites nescientes faciunt.

(d) *Glossa. (a)* Post condemnationem Christi, & contumelias condemnatio illatas, ad crucifixionem ejus narrantam Evangelista accedit dicens: *Et educunt illum, ut crucifigerent eum. Hieronymus (super Vultus dimittam.)* Hic educitur Abel in agrum a fratre ut perimatur; hic adest Isaac cum lignis, & Abraham cum arietem veribus haerente; hic etiam Joseph cum face somniato, & tunica talari sanguine lita; hic adest Moyses cum virga, & serpente suspensio in ligno; hic est borus in ligno portatus; hic adest Bliseus cum ligno ad quaerendam sacrum, quae in imo demersa est, & natavit ad lignum; id est, genus humanum, quod a ligno verito in infernum decidit, per lignum crucis Christi, & per baptismum aquae ad paradysum natavit; hic adest Jonas de ligno (2) fori in mare, ventremque ceteri triduo missus.

Sequitur: *Et angariaverunt quempiam praetereuntem Simonem Cyrenaeum venientem de villa, patrem Alexandri, & Rufi, ut tolleret crucem ejus. Theophylactus (super Coegerunt hominem.)* Joannes autem ait, quod ipsemet bajulabat sibi crucem: utrumque enim fuit: nam ipse quidem primo bajulavit sibi crucem, donec praeterit quidam quem angariaverunt, & tunc ille portabat. Dixit autem quorum filiorum erat pater ad majorem fidem, & affirmationem: nam homo ille adhuc vivebat, qui poterat omnia quae circa crucem facta sunt, enarrare. Hieronymus (super Patrem Alexandri, & Rufi.) Cum autem alii per merita patrum suorum commemo-

rentur, alii per merita filiorum suorum; hic Simon qui crucem in angaria portat, meritis filiorum suorum, qui erant discipuli, commemoratur. De hoc nos in praesenti vita admoneamus, parentes adjuvari per naturam suorum sapientiam, vel merita: ut populus Judaicus propter Patriarcharum, & Prophetarum, & Apostolorum merita semper commemoratur. Simon autem iste qui portat crucem in angaria, ipse est qui laborat pro latide humana: cogunt enim homines hunc laborare, quem non cogunt timor, & dilectio Dei. Bada (super Angariaverunt Simonem.) Vel quia Simon iste non Hierosolymita, sed Cyrenaeus esse perhibetur (Cyrenae enim Libia civitas est) recte per eum populi Gentium designantur, qui quondam peregrini, & hospites testamentorum; nunc obediendo heredes sunt Dei, coheredes autem Christi. Unde apte Simon obediens, Cyrene heres interpretatur. De villa autem venisse refertur: villa enim Graece pagus dicitur: unde Paganos appellamus eos quos a civitate Dei alienos videmus. De pago igitur egrediens Simon crucem portat post Jesum, cum populus nationum paganis ritibus derelictis, vestigia dominicae passionis obedienter amplectitur. Sequitur: *Et portaverunt eum in Golgotha locum, quod est interpretatum Calvariae locus.* Extra urbem, & foris portam loca sunt in quibus truncantur capita damnatorum; & Calvariae, id est decollatorum, sumptere nomen. Propterea autem ibi crucifixus est Dominus, ut ibi prius erat area damnatorum, ibi erigeretur vexilla martyrii. Hieronymus (super Crucifixerunt.) Tradunt autem Judaei quod in hoc montis loco immolatus est aries pro Isaac; & ibi decalvatur Christus; id est, a carne sua, carnali videlicet Judaea, separatur.

Sequitur: *Et dabunt ei bibere myrrhatum vinum.* Augustinus de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 11.) Hoc intelligendum est Mattheum dixisse cum felle mixtum: fel quippe pro amaritudine posuit, & myrrhatum vinum amarissimum est quamquam fieri possit ut & fel, & mirtha vinum amarissimum redderet. Theophylactus (super Dabant ei bibere myrrhatum vinum.) Vel ordinatione quadam existente, alii alia asserbant, quidam acetum, & fel; quidam vinum mirrhatum. Hieronymus. Vel myrrhatum vinum, hoc est acetum; per hoc succus letalis pomii abtergitur. Bada (ibidem.) Amara vitis amarum vinum fecit (3) de quo propinat Dominum Jesum, ut impleatur quod scriptum est Psal. 68.

(1) Al. quoniam. (2) Al. forti. P. Nicolai legit fortis. (3) Al. omittitur de. Ex edit. P. Nicol. (a) Nihil tale in Glossa quae nunc extat.

„Dederunt in cibum meum fel, & in siti mea potaverunt me aceto.“ *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 11.) Quod autem subditur, *Et non accepit*, intelligitur, non accepit ut biberet; gustavit autem, ut *Matthæus* testis est; & sicut idem *Matthæus* ait, „Noluit bibere,“ hoc *Marcus* dixit, *Et non accepit*; tacuit autem quod gustavit. *Hieronymus*. Non accepit etiam id pro quo patitur: unde de eo dicitur *Psal.* 68. „Quæ non rapui, tunc exolvebam.“ Sequitur: *Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta sua, mittentes sortem super eis, quid quis tollerat.* Hoc loco figuratur salus: (1) per lignum. Primum lignum scientiæ boni & mali fuit; secundum lignum boni tantum nobis, & vitæ lignum est. Extensio manus primæ ad lignum mortem apprehendit; extensio autem secundæ, vitam, quæ perierat, invenit. Ligno hoc vehimur per mare undosum ad terram viventium: cruce enim sua Christus cruciatum nostrum absolvit, & mortem suam mortem nostram necavit. (2) (a) Cum forma serpentis serpentem necat: quia serpente de virga facti alii absorbentur serpentes. Ipsa autem species crucis quid est nisi forma quadrata mundi? Oriens de vertice fulget; arcus dextra tenet; aquæ lava consistit; occidens sub plantis firmatur. Unde *Apostolus* *Ephes.* 3. „Ut sciamus quæ sit altitudo, & latitudo, & longitudo, & profundum.“ Aves quando volant ad æthera, formam crucis sumunt; homo natans per aquas, forma crucis vehitur; (3) navis per maria, antenna cruci similata sufflatur; Tau littera, signum salutis, & crucis describitur. *Beda* (super *Crucifigentes diviserunt vestimenta*.) Vel in transversio ligno crucis, ubi signatur manus, gaudium vite signatur: per manus enim opera, per latitudinem hilaritatem operantis intelligimus, quia tristitia facit angustias; per altitudinem, cui caput adjungitur, expectationem retributionis de sublimi iustitia Dei, per longitudinem, qua totum corpus extenditur, tolerantiam, unde longanimis dicuntur; per profundum quod terre est infixum, ipsum sacramentum secretum. Quandiu ergo hic agunt corpora nostra ut destruat corpus peccati, tempus nobis est crucis. *Theophylactus* (super *Mittentes sortem*.) Quod autem ponebant sortem super vestimenta ejus, (4) & hoc illudentes fecerunt, quasi Regis vestimenta dividentes: etenim villa erant, non valde pretio-

(1) *Al.* deest per. (2) *Al.* Tuli. (3) *Al.* navis marina attenta cruci similata. (4) *Al.* & hoc hodie. (5) *Al.* tulit. (6) *Al.* videmus.

Ex edit. P. Nicol. (a) Non est in Hieronymo hæc appendix. (b) *Glossa*. Prætermisso nomine *Glossæ*, confundebatur cum prioribus posteriora, quasi *Theophylacti* essent, cum sint ex *Glossa* tantum, quæ tamen ea ut ex *Theophylacto* notat; & potius ex *Augustino* ea insinuante (Lib. 2. de Con. Evang. cap. 12.) notari poterunt,

sa. (b) Hoc autem *Joannes Evangelista* plenius exponit, quia scilicet milites cetera in quatuor partes juxta suum numerum dividentes, de tunica, quæ inconfutillis erat, desuper contextâ per torum, sortem miserunt. *Hieronymus* (super *Diviserunt vestimenta*.) Vestimenta autem Domini, ejus mandata sunt, quibus regitur corpus ejus, idest Ecclesia, quæ dividunt inter se milites Gentium, ut sint quatuor ordines cum una fide, idest conjugati, & viduati, præpositi, & separati. Sortiti sunt tunicam indivisam, quæ est pax, & unitas. Sequitur: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Hoc vere, & proprie *Marcus* (5) intulit: nam sexta hora tenebræ suffuderunt terram, ut non quisquam posset movere caput. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 13.) Si hora quasi sexta Pilato sedente pro tribunali traditus est Jesus crucifigendus Judæis, ut *Joannes* refert; quomodo hora tertia crucifixus est, sicut verba *Marci* non intelligentes quidam putaverunt? Prius ergo qua hora crucifigi poterit videamus, deinde (6) videbimus cur hora tertia crucifixus dixerit *Marcus*. Hora erat quasi sexta cum traditus est crucifigendus à Pilato sedente pro tribunali, ut dictum est: non enim jam plena sexta erat, sed quasi sexta, idest peracta quinta, & aliquid etiam de sexta esse cœperat, ut peracta quinta, & inchoata sexta, gereretur hæc quæ narrata sunt in crucifigione Domini nostri, donec completa sexta, illo pendente fierent hæc quæ dicuntur tenebræ. Queramus autem jam cur dixerit *Marcus*: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Jam certe dixerat, *Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus*: sic etiam ceteri attestantur, quod eo crucifixo vestimenta divisa sunt. Si enim rei gestæ tempus voluit commemorare *Marcus*, sufficeret dicere, *Erat autem hora tertia*: ut quid adjunxit, *Et crucifixerunt eum*? nisi quia voluit aliquid recapitulando significare, quod quaesitum inveniretur cum Scriptura ipsa illis temporibus legeretur, quibus universæ Ecclesiæ notum erat qua hora Dominus ligno suspensus est: unde posset hujusmodi vel error tolli, vel mendacium refutari. Sed quia sciebat à militibus suspensus Dominum, non à Judæis, sicut *Joannes* apertissime dicit; occulte offendere voluit eos magis crucifixisse, quia clamaverunt ut crucifigeretur, quam illos qui ministerium principii suo secundum suum

suum officium præbuerunt. Intelligitur ergo fuisse hora tertia, cum clamaverunt Judæi ut Dominus crucifigeretur; & verissime demonstratur tunc eos crucifixisse quando clamaverunt. In conatibus autem Pilati ad (1) eripiendum Dominum, & in tumultu Judæorum contradicentium consumptum tempus duarum horarum intelligimus, & circa horam fuisse sextam, qua nondum terminata, gesta sunt quæ ab eo tempore quo Pilatus Dominum tradidit usque ad tenebras factas parantur. Facile autem videbit qui sine impietatis durtia voluerit attendere, quam opportuno loco *Marcus* hoc de tertia hora posuerit, ubi scilicet factum ministrorum militum commemoratum est. Ergo ne quisquam cogitationem tanti criminis averfus à Judæis in milites illos converteretur, *Erat*, inquit, hora tertia, & crucifixerunt eum: ut illi eum potius crucifixisse inveniantur quos hora tertia ut crucifigeretur clamare potuisse diligens inquisitor inveniet, cum adverterit hoc quod à militibus factum est, hora sexta factum esse. *Augustinus* de Quæst. vet. & novi testament. (cap. 65.) Judæorum ergo sententiam de crucifigione Christi tertia hora datam vult intelligi. Omnis enim qui mori addicitur, ex eo jam mortuus computatur, quo sententiam excepit. Manifestavit ergo *Marcus*, quia non judicis sententia Salvatoris crucifixus est: difficile est enim innocentem probare eum qui sententia judicis puniatur. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 13.) Quamquam non desint qui paraceve quam *Joannes* commemorat dicens cap. 19. „Erat autem paraceve hora quasi sexta,“ horam diei tertiam velint intelligi: dicunt enim, die quidem illo, quem dies sabbati sequebatur, paracevem fuisse paschæ Judæorum, quod ab eodem sabbato jam inciperet azyma; sed tamen verum pascha, quod jam in passione Domini celebratur, non Judæorum, sed Christianorum cœpisse præparari, idest paracevem habere, ab ea hora noctis nona, in eo quod Dominus à Judæis occidendus præparabatur: paraceve quippe interpretatur præparatio. Ab illa ergo hora noctis usque ad ejus crucifigitionem occurrit hora paraceve sexta secundum Joannem, & hora diei tertia secundum *Marcum*. Quis fidelis non huic favere solutioni quaestionis? Si modo possit aliquid articulis conjici, unde ab hora nona noctis cœpisse paraceve paschæ nostræ, idest præparationem mortis Christi, congruentem intelligamus. Si enim dicamus eam cœpisse quando à Judæis apprehensus est Dominus, adhuc noctis partes primæ erant; sed quando ad domum per-

(1) *Al.* excipiendum. (2) *Al.* Malchus Judæorum. (3) *Al.* Basilis exomologeson. Corrigit P. Nicolai Basilis exomologeson. (4) *Al.* vias.

ductus est focii Caiphæ, ubi & auditus est à principibus, adhuc gallus non cantaverat. Si autem quando Pilato traditus est jam mane fuisse apertissime scriptum est, restat ergo ut intelligamus tunc cœpisse præparationem mortis Domini quando omnes principes sacerdotum dixerunt. (*Matth.* 26.) „Reus est mortis.“ Non enim absurde conjiciunt eo tempore nonam horam noctis esse potuisse, ut recapitulando intelligatur de Petri negatione postea dictum esse quod ante factum erat.

Sequitur: *Et erat titulus cause ejus inscriptus, Rex Judæorum.* *Theophylactus*. Scripserunt autem hunc titulum, scilicet causam propter quam crucifixus est, quasi vituperantes ejus opinionem qui Regem seipsum faciebat, ut sic prætereuntes misereri non valeret, sed magis ei improperebant tamquam tyranno. *Hieronymus* (super *Et erat titulus cause ejus*.) Scripserunt autem hoc tribus linguis: Hebræicæ (2) *Melch Seudim*, Græcæ (3) *Basilis exomologoson*, Latine *Rex confessorum*. Hæ tres linguæ ad principatum in crucis titulo consecratae sunt, ut omnis lingua commemoraret perfidiam Judæorum. *Beda* (ibidem.) Titulus autem hic positus supra crucem illud ostendit, quia nec occidendo poterunt efficere ut eum Regem non haberent qui eis secundum sua opera redditus est.

Sequitur: *Et cum eo crucifigunt duos latrones, unum à dextris, & unum à sinistris ejus.* *Theophylactus* (parum ante med. Comment.) Ut scilicet homines pravam opinionem contra eum conciperent, quod ipse latro, & maleficus esset. Hoc autem dispensative factum est ad implendum Scripturam: unde sequitur: *Et impleta est Scriptura quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est.* *Hieronymus* (super *Et cum eo duos latrones*.) Cum iniquis veritas deputata unum reliquit sinitrum, alterum assumit dexterum, sicut in die judicii faciet: ex simili crimine tam dissimiles sortiuntur. (4) fines: alter antededit Petrum in paradysum, alter Judam in infernum. Confessio brevis vitam acquirit longam, & blasphemiam finita, poena plectitur æterna. *Beda* (ibidem.) Mystice autem latrones qui cum Domino crucifixi sunt, significant eos qui sub fide, & confessione Christi, vel agonem martyrii, vel quælibet arctioris discipline instituta subeunt. Sed qui hoc pro æterna gloria gerunt, dexteri latronis fide designantur; qui vero humanæ laudis invidia, sinistra latronis mentem imitantur, & actus. *Theophylactus* (circa med. Comment.) Vel aliter. Indicum erant duo latrones.

trones duorum populorum, scilicet Judaici, & Gentilis: ambo namque iniqui: Gentilis quidem tanquam legem naturalem prætergrediens, Judaicus vero scriptam legem quam ei tradiderat Dominus: sed Gentilis poenitus, Judaicus usque in finem blasphemus: in quorum medio crucifigitur Dominus: ipse enim est lapis angularis nos coniungens.

(e) Hieronymus (ubi supra.) Pallio Judææ ligato ad vitem, & ejus pallio in sanguine uvæ intincto, lacerant hædi vineam, blasphemantes Christum, & moventes capita sua: unde dicitur: *Et præteritantes blasphemabant eum, moventes capita sua: & dicentes: Vah qui destruis templum Dei.* Theophylactus (super *Vah qui destruis templum.*) Transientes enim Christum blasphemabant, exprobrantes ei tanquam seductori. Diabolus autem movebat illos ad dicendum quod de cruce descenderet: quia enim noverat quod salus fiebat per crucem, rursus ingerebat se ad tentandum Christum, ut si à cruce descenderet, certus feret quod non est vere Filius Dei, & sic salus quæ per crucem est, destrueretur. Sed ipse Dei verus exiliens Filius non descendit: si enim descendere debuisset, non illuc à principio ascendisset: sed quia videbat quod per hunc modum salutem fieri oportebat, sustinuit crucifigi, & multa alia pati, & perficere opus suum. Sequitur: *Similiter & summi sacerdotes illudentes ad alterutrum cum scribis dicebant: Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere.* Hæc dicebant ejus miracula abolentes, quasi ab eo secundum apparentiam perpetrata fuissent: operans namque miracula multos salvabat. Beda (super *Similiter & summi sacerdotes dicebant.*) Sic etiam nolentes consentitur, quod alios salvos fecit. Itaque vos vestra condemnat sententia: qui enim alios salvos fecit, seipsum salvare poterat.

Sequitur: *Christus Rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus, & credamus.* Hieronymus (super *Descendat nunc de cruce.*) Et viderunt postea resurgentem de sepulcro, quem de crucis descendere non credebant posse patibulo. Ubi est, 6 Judæi, infidelitas vestra? Vos ipsos consulo, vos ipsos (1) iudices peto. Quanto mirabilius est mortuum posse resurgere, quam adhuc vivum de cruce velle descendere? Parva petistis, dum majora proventur: sed infidelitas vestra non potuit sanari signis multo fortioribus quam petistis. Hic, omnes declinaverunt, simul inuites facti sunt. "Psalm. 13. unde sequitur: *Et qui cum eo crucifixi erant, convinciuntur ei.* Augustinus de Con. Evang. (Lib. 3.

(1) Al. iudicium. (2) Al. non potest. (3) Nicolai Blai Blai. (4) Al. sciens. (5) P. Nicolai ponit meos. For. te nostros. (6) Al. putamus.

cap. 16.) Quomodo hoc verum est, quandoquidem unus eorum conviciatus est, secundum Lucæ testimonium, alter & compescuit eum, & in Deum credidit: nisi intelligamus Matthæum, & Marcum breviter perstringentes hunc locum, pluralem numerum pro singulari posuisse? Theophylactus (super *Similiter & qui cum eo crucifixi fuerant.*) Vel duo à principio conviciabantur ei: deinde unus cognoscens ipsum innocentem, increpat alterum blasphemantem.

(f) Beda (super *Hora sexta facta sunt tenebra.*) Clarissimum lumen mundo retraxit radios suos, ne aut pendente videret Dominum; aut impij blasphemantes sua luce fruerentur: unde dicitur: *Et facta hora sexta, tenebra facta sunt per totam terram usque in horam nonam.* Augustinus de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 17.) Addidit autem Lucas, unde facta sunt tenebra, idest solem obsecratum. Theophylactus (super *Tenebra facta sunt usque in horam nonam.*) Si autem tempus eclipsis fuisset, posset quis dicere, quod naturalis fuisset hæc passio: sed tunc decima quarta erat luna, cum naturalis eclipsis fieri (2) nequit.

Sequitur: *Et hora nona exclamavit Jesus voce magna dicens,* (3) *Eli, Eli, Hieronymus* (super *Et hora nona.*) Nona hora invenitur, evesca domo, decima dragma quæ perierat. Beda. Nam & Adam peccante scriptum est, quod audiverit vocem Domini Dei ambulantis in Paradiso ad auram post meridiem; & qua hora primus Adam peccando mortem huic mundo invenit, eadem hora secundus Adam mortem moriendo destruxit. Et notandum, quod recedente à centro mundi sole, crucifixus est Dominus: oriente autem sole, resurrectionis suæ mysteria celebravit: quia, mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. "Rom. 4. Næc mireris verborum humilitatem, querimonias detelicti, cum formam servi (4) scias, scandalum crucis videas. Sicut enim esurire, & sitire, & fatigari, non erant propria detritis, sed corporales passionis: ita quod dicitur, *Ut quid dereliquisti me?* corporalis vocis erat proprium: quia velle secundum naturam corpus nullatenus velle à sibi conjuncta vita fraudari. Licet enim ipse Salvator dicebat hoc: sed proprie ostendebat corporis fragilitatem: ut homo ergo loquitur (5) in eos circumferens motus, quod in periculis positi à Domino deseri nos (6) putemus. Theophylactus (super *Deus meus, cur dereliquisti me?*) Vel hoc loquitur homo crucifixus Deo pro me: nos enim homines sumus derelicti, ipse nunquam à Patre

derelictus fuit: audi enim quid dicit Joan. 16. 17. Non sum solus, sed Pater mecum est. "Est etiam hoc pro Judæis dixerit, quasi & ipse secundum carnem Judæus existens: ac si diceret: *Ut quid Hebræicum populum dereliquisti, ut tuum crucifigerent Filium?* Sicut enim aliquando consuevimus dicere, Deus induit me, idest meam naturam, scilicet humanam; sic & hic, *dereliquisti me*, oportet intelligere humanam naturam, vel Judaicum populum.

Sequitur: *Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat.* Beda (super *Quidam dicebant, Eliam vocat.*) Sed (1) hos arbitror milites fuisse Romanos, non intelligentes sermonis Hebræici proprietatem; sed ex eo quod dixit, *Eli, Eli*, putantes ab eo Eliam vocatum. Si autem Judæos qui hoc dixerunt intelligere volueris; hoc faciunt, ut eum imbecillitatis infamem, quod Eliæ auxilium deprecetur. Sequitur: *Currens autem unus, & implens spongiam aceto &c.* Quam ob causam Domino acetum sit potui darum, Joannes plenus ostendit cap. 19. dicens, quod, "Jesus, ut consummaretur Scriptura, dixit, Sitio. Illi autem spongiam plenam aceto, obtulerunt ori ejus.

Hieronymus (ubi supra.) Innuvit (2) autem hic Judæorum similitudinem: spongiam super cannam infirmam, aridam, ignibus aptam implevit aceto, hoc est malitia, & dolo. Augustinus de Consen. Evang. (Lib. 2. cap. 17.) De Elia vero non ipsum qui obtulit spongiam cum aceto, sed ceteros dixisse Matthæus narravit: unde intelligimus & illum, & ceteros hoc dixisse. Hieronymus (super *Jesus missa voce magna.*) Infirmitate autem carne, vox invaluit divina, quæ dicit, "Aperite mihi portas justitiæ: "Psalm. 117. unde (3) sequitur: *Jesus autem emissâ voce magna expiravit.* Cum ima voce, sive sine voce nos morimur, qui de terra sumus; ille vero cum exaltata voce expiravit, qui de celo descendit. Theophylactus (ibidem.) Et qui morti dominatur, & præcipit, sicut Dominus potestative expirat. Qualis autem hæc vox fuerit, Lucas declarat cap. 23. "Pater (inquit) in manus tuas commendo spiritum meum." Etenim Christus ex tunc per hoc nobis voluit declarare quod sanctorum animæ in manus Dei ascendunt: nam prius ab inferis omnium animæ tenebantur, donec venit qui prædicavit captivis remissionem.

(g) Glossa. (a) Postquam narravit Evangelista passionem, & mortem Christi, nunc proponit nom. scilicet, (1) Al. quos. (2) Al. invenit autem. (3) Al. deest. (4) Al. ne fiat. (5) Al. deest autem.

EXEDIT. P. NICOL. (a) Non est in Glossa quæ nunc extat. (b) Non eadem serie qua hic; sed prioribus posteriora præmittendo, præter aliqua verba in sequentibus immutata.

sequitur de his quæ post mortem Domini conigerunt: unde dicitur: *Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum.* Hieronymus (super *Velum templi scinditur.*) Velum templi, idest cælum aperitur. Theophylactus. Scissum est etiam velum, inuente Deo, quod Spiritus Sancti gratia à templo recedit, & scinditur, ut Sancta Sanctorum ab omnibus videnda essent, & quod templum lugebit in Judæis, cum calamitates deplorabunt, & vestimenta scindunt. Hoc etiam & templum animatum, scilicet corpus Christi, ostendit, in cujus passione vestimentum ejus laceratum est, scilicet caro. Et aliud etiam significat: caro namque velum est nostri templi, scilicet mentis nostræ; virtus autem carnis scissa est in Christi passionibus à summo usque deorsum, scilicet ab Adam usque ad ultimos homines: nam & Adam effectus est sanus per passionem Christi, & ejus caro non manet sub maledicto, neque digna est corruptionis; sed omnes in corruptione honorati sumus. Videns autem Centurio. Centurio dicitur (4) qui centum est militum princeps. Videns autem quod ipsa potestative, & dominabiliter expirasset, miratus est, & confessus est. Beda (super *Videns autem Centurio quod sic expirasset.*) Manifesta autem causa miraculi Centurionis exponitur, quod videns Dominum sic expirasse, idest spiritum emisisse, dixerit: *Vere homo hic Filius Dei erat:* nullus enim habet potestatem mittendi spiritum nisi qui animarum conditor est. Augustinus de Trin. (b) (cap. 13.) Et hoc maxime miratus est, in qua figuram peccati nostri edidit, continuo tradidit spiritum: demonstravit enim spiritus Mediatoris, quod nulla pena peccati usque ad mortem ornus ejus accesserit: quia non erat deseruit iniquus, sed quomodo voluit, quippe Dei Verbo ad unitatem persone conjunctus. Hieronymus (super *Emissâ voce magna.*) Novissimi autem nunc primi efficiuntur, Gentilis convertitur populus, Judæa caecata negat, (5) ut fiat eis error peior priore, Theophylactus (super *Vere Filius Dei erat.*) Et sic ordo convertitur, dum Judæi occidunt, & Gentilis confiteretur; discipuli fugiunt, & mulieres expectant: sequitur enim: *Erant autem & mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalenis, & Maria Jacobi minoris, & Joseph mater, & Salome, Salome dicta est mater filiorum Zebedæi. Origenes* (tract. 35. in Matth.) Opinaus (6) autem sum hoc videns apud Matthæum, & Marcum, hic tres pri-

Al. deest sequitur. (4) Al. centum militum princeps.

cipuas mulieres nominatas: & duas quidem uterque Evangelista exponit, Mariam Magdalene, & Mariam Jacobi; tertia autem à Matthæo dicitur mater filiorum Zebedæi; à Marco autem tertia illa Salome appellatur. *Beda* (super *Mariam Magdalene, & Mariam Jacobi.*) Jacobum autem maiorem dicit Jacobum Alphaei, qui & frater Domini dicebatur, eo quod esset filius Mariæ materteræ Domini, cuius meminit Joannes dicens cap. 19. „Stabant juxta crucem „Jesu mater ejus, & soror matris ejus Maria Cleo- „pha, & Maria Magdalena.“ Mariam autem Cleopha videtur eam dicere à patre. sive à cognatione. Vocatur autem minor Jacobus ad distinctionem majoris Jacobi, videlicet filii Zebedæi, qui inter primos Apostolos vocatus est à Domino. Consuetudinis autem Judaicæ fuit, nec (1) ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de sua substantia victum atque vestitum præceptoribus ministrarent: unde sequitur: *Et cum esset in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei.* Ministrabant Domino quidem de substantia sua: ut mereret earum carnalia, cuius illa merebant spiritualia, & ut typpum ostenderet magistrorum, quod victu atque vestitu ex discipulis deberent esse contenti. Sed videamus quales comites habuerit: sequitur enim: *Et alie multe, que simul cum eo ascenderant Hierosolymam.* Hieronymus (super *Erant autem mulieres de longe.*) Sicut non excluditur mulieris sexus à salute per Mariam Virginem; ita non repellitur à mysterii crucis scientia, & resurrectionis per viduam Mariam Magdalenam, & ceteras matres.

(h) *Glossa* (a) Post passionem, & mortem Christi, Evangelista sepulchuram ejus narrat, dicens: *Et cum jam sero esset factum, quia erat parasceve, quod est ante sabbatum, venit Joseph ab Arimathea. Beda* (super *Erat parasceve.*) Parasceve Græce, Latine præparatio dicitur: quo nomine Judæi qui inter Græcos morabantur sextam sabbati appellabant, eo quod in illo ea quæ requies sabbati necessaria essent præparare solerent. Quia ergo sexta die homo factus est, septima autem die conditor ab omni opere suo requievit: recte Salvator sexta die crucifixus humane restaurationis implebit arcanum. Sabbato autem in sepulchro quiescens resurrectionis, quæ octava die ventura erat, expectabat evenum. Sic & nos in hac quidem sæculi ætate mundo necesse est crucifigi; in septima vero die: id est cum mortis quis debitum solvit, corpora quidem in tumultis, animas autem secreta in pace cum Domino post bona opera oportet quiescere, do-

(1) *Al.* inducebatur.

EX EDIT. P. NICOI. (a) Non est in Glossa quæ nunc extat.

nec octava ætate etiam corpora ipsa resurrectione glorificata cum animabus incorruptionem accipiant. Talem autem esse decebat qui corpus Domini sepeliret, qui etiam per justitiam mentorum tali ministerio dignus esset, & per nobilitatem potentia secularis facultatem posset obtinere ministrandi; & ideo dicitur, quod erat nobilis decurio expectans regnum Dei. Decurio vocatur quod sit de ordine curiæ, & officium curiæ administraret, qui etiam curialis à procurando munera civilia solet appellari. Arimathea autem ipsa est Ramathain civitas Helicæ, & Samuelis. Hieronymus (ubi supra.) Quæ interpretatur deponens, de qua fuit Joseph, qui venit ad deponendum corpus Christi de cruce.

Sequitur: *Et audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu.* Theophylactus (super *Joseph ab Arimathea.*) Audet ausum laudabile: non enim excogitavit: A divitiis decedam, & expellat à Judæis, si corpus petam ejus qui est blasphemus condemnatus. Sequitur: *Pilatus autem mirabatur, si jam obisset.* Putabat enim, quod diu viveret in cruce, sicut & latrones in pabulo vivebant diu. Sequitur: *Et accessit Centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset,* scilicet ante horam qua ceteri mori consueverunt.

Sequitur: *Et cum cognovisset à Centurione,* scilicet quod mortuus esset, *donavit corpus Jesu.* Beda (ibid.) Non autem quilibet ignotus, aut medicis ad præsidem accedere, & crucifixi corpus poterat impetrare.

Sequitur: *Joseph autem mercatus sindonem, & deponens eum, involvit in sindone.* Theophylactus (paulo ante finem Comm.) Pretiosum corpus pretiose sepeliens: cum enim esset discipulus Domini, sciebat qualiter corpus Domini honorari deberet. *Beda* (super *Mercatus est sindonem.*) Possumus autem secundum intelligentiam spirituales hoc sentire, quod corpus Domini non atro, non gemmis, & serico, sed lineamine puro obvolvendum sit: hinc Ecclesiæ mos obtinuit ut sacrificium altaris, non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebraretur, sicut corpus est Domini in sindone munda sepultum: juxta quod in gestis Pontificalibus à B. Silvestro legitur esse statutum: quamquam & hoc significet, quod ille sindone munda involvit Jesum qui pura eum mente suscepit. Sequitur: *Et posuit eum in monumento quod erat excisum in petra, & advolvit lapidem ad ostium monumenti.* Dicitur, quod monumentum Domini domus rotunda fuit, de subiacen-

re rupe excisa, tantæ altitudinis ut homo recutus exiens vix eienta manu culmen posset attingere: & habet introitum ab oriente, cui lapis magnus involutus, atque impositus est in ejus parte aquilonari. Ipsum sepulchrum, id est locus dominici corporis, de eadem petra factum est, septem habens pedes longitudinis, trium palmorum mensura à pavimento altius eminentis, qui scilicet locus non desuper sed à latere meridiano per totum patet, unde corpus (1) inferebatur. Color autem monumenti, & loculi albo, & rubeo dicitur esse permixtus. Hieronymus (parum ante finem Comment.) Sepultura autem Christi resurgimus, descensione ejus ad inferos nos ascendimus ad cælos. Hic invenitur mel in ore leonis mortui. Theophylactus (ibid.) Imitemur autem & nos Joseph recipientes Christi corpus per unitatem, & ponamus illud in monumento exciso de petra, id est in anima memorante, & non obliviscente Deum: illa enim anima est ex petra excisa, id est ex Christo, qui est petra, quia continet firmitatem. Involvere etiam debemus ipsum in sindone, id est in corpore puro suscipere: sindonem namque est corpus, quod est animæ indumentum. Decet enim non solum pura anima corpus Christi suscipere, sed in corpore (2) puro. Involvere autem oportet, sed non operire: nam secretum clausum est, & occultum.

Sequitur: *Maria autem Magdalene, & Ma-*

(1) *Al.* post inferebatur. (2) *Al.* omittitur puro. (3) *Al.* quando.

## CAPUT XVI.

(a) **E**T cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole, & dicebant ad invicem: Quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. Et introcutes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt: qui dicit illis: Nolite expavescere: Jesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic. Ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite, dicit discipulis ejus, & Petro, quia præcedet vos in Galliam. Ibi cum videritis, sicut dixit vobis. At illæ exeuntes fugerunt de monumento: invaserat enim eas tremor, & pavor: & nemini quicquam dixerunt, timebant enim.

(b) Surgens autem Jesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene, de qua ejecerat septem dæmonia. Illa vadens nuntiavit his qui cum eo fuerant, lugentibus, & sientibus. Et illi audientes quia viveret, & visus esset ab ea: non crediderunt. Post hæc autem duobus ex his ambulantibus, ostensus est in alia effigie euntibus in villam; & illi euntes nuntiaverunt ceteris; nec illis crediderunt.

(c) Novissime autem recumbentibus illis undecim apparuit, & exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum universum, prædicatè Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis

loquentur novis, serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocēbit; super agros manus imponent; & bene habebunt.

(d) Et Dominus quidem Jesus postquam loquutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermone confirmante sequentibus signis.

(a) **H**ieronymus (cir. prin. Comm. ad cap. 16.). Post sabbati missiviam felix irradiat dies que primam in diebus tenet, luce prima in eo luscēcente, & Domino in eo cum triumpho resurgente; unde dicitur: *Et cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent. Jesum. Glossa.* (c) Religiosæ enim mulieres sepulto Domino, cum licuit operari, id est usque ad solis occasum, unguenta paraverunt, ut Lucas dicit, Et quia præ angustia temporis non poterant explete, mox transacto sabbato, id est occidente sole, ut operandi licentia rediit, festinaverunt emere aromata, sicut Marcus dicit hic, ut venientes mane ungerent corpus Jesu; neque vespere sabbati, præoccupante jam noctis articulo, monumentum adire valuerunt: unde sequitur: *Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam sole. Severianus.* (b) Mulieres hoc loco feminea devotione discuntur; quæ non ut viventi fidem, sed ut mortuo unguenta deferunt ad sepulcrum, & ut sepulcro parant meritis obsequia, non ut resurgenti præparant divinum gaudia triumphorum. *Theophylactus* (Marc. ult. in prin. Commen.) Non enim magnitudinem, atque dignitatem divinitatis Christi sapiunt. Veniunt autem juxta consuetudinem Judæorum ungeri corpus (1) Christi; ut scilicet maneret odoriferum, & ne humiditate scaturiret: nam aromata virtutem habent desiccativam, humiditatem corporis absorbentia; unde incorruptum corpus conservant. *Gregorius* in hom. (21. in Evang.) Nos autem in eum qui est mortuus credentes, si odore virtutum (2) referri cum opinione honorum operum Domini querimus, ad monumentum illius cum aromatis venimus.

Sequitur: *Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam sole. Augustinus* de Con. Evan. (Lib. 3. cap. 24.) Quod Lucas dicit, „ Valde diluculo, “ & Joannes „ Mane, “ ne cum adhuc tenebræ essent, “ hoc intelligitur Marcus dicere, *Valde mane oriente jam sole,* id est cum cælum ab orientis parte albesceret,

(1) *Al. Jesu.* (2) *Al. refecti.* (3) *P. Nicolai legit* Obferatum est vestrum pectus, & infra non videtis.

Ex edit. P. NICOL. (a) Nempe collateralis, quæ notatur ex Beda, ut & habetur apud illum super hunc locum. (b) Immo potius Chrysológus ferm. 82. qui de Christi resurrectione, & quarta manifestatione inscribitur. (c) Sive iterum Chrysológus ubi supra circa medium.

ponit. Hæc revolutio lapidis mystice reserationem sacramentorum Christi, quæ velamine literæ legalis tenebantur, insinuat: lex enim lapide scripta est. *Sequitur: Erat quippe magnus valde Severianus.* Et plus jam magnus merito quam forma, qui creatoris mundi corpus & claudere, & opere sufficit. *Gregorius* (hom. 21. sub initio.) Mulieres autem Angelos vident, quæ cum aromatis venerunt: quia illæ mentes supernos cives aspiciunt quæ cum virtutibus (1) ad sancta desideria veniunt: unde sequitur: *Et introentes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt. Theophylactus* (al. à princ. Commen.) Si Matthæus dicit Angelum sedere super lapidem, Marcus vero: quod mulieres introentes monumentum viderunt sedentem juvenem; non mireris: nam quæ viderunt prius sedentem super lapidem, ipsum etiam intus in monumento postmodum viderunt. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 24.) Aut intelligamus Matthæum tacuisse de illo Angelo quem intrantes viderunt, Marcus vero de illo quem toris super lapidem sedentem viderunt, ut duos viderint, & à duobus singillatim audierint quæ dixerunt Angeli de Jesu: aut certe intrantes in monumentum in aliqua septa maceria debemus accipere, qua communium locum tunc fuisse credibile est in aliquo (2) spatio ante petram; qua excisa locus factus fuerat sepulcræ; ut ipsum viderint in eodem spatio sedentem à dextris, quem dicit Matthæus sedentem super lapidem. *Theophylactus* (non remote à princ.) Quidam autem dicunt, quod aliæ fuerunt mulieres, quæ dicuntur à Matthæo, aliæ, quæ à Marco; sed Maria Magdalena sequebatur omnes, fervidam festinationem habens, & ardentem affectum. *Severianus.* (a) Introierunt ergo mulieres ad sepulcrum, ut conspulerat Christo, Christo consurgerent de sepulcro: vident juvenem, ut cernerent nostræ resurrectionis ætatem: quia nescit resurrectio senectutem, & ubi nasci, morique homo nescit, ibi ætas nec admittit detrimenta, nec indiget incrementis: unde juvenem, non senem, non infantem, sed jucundam ætatem viderunt. *Beda* (super *Viderunt juvenem sedentem*) Viderunt autem juvenem sedentem in dextris, id est ad meridjanam partem loci illius, ubi positum erat: corpus enim quod supinum

jacens, caput habebat ad occasum, dextram necesse erat habere ad austrum. *Gregorius* in homil. (21. in Evan.) Quid autem per sinistram, nisi vita præsens: quid vero per dextram, nisi vita perpetua designatur? Quia igitur Redemptor noster jam præsentis vitæ corruptionem transierat, recte Angelus qui nuntiare perennem ejus vitam venerat, in dextra sedebat. *Severianus.* (b) Vident etiam juvenem sedentem à dextris, quia resurrectio recipit nil sinistrum: vident etiam coopertum stola candida. Stola ista non est ex mortali vellere, sed ex virtute vitali splendens cælesti lumine, non colore terreno; dicente Propheta Psal. 103. „ Amictus lumine sicut vestimento: “ & de justis Matth. 13. „ Tunc justi fulgebunt sicut sol. “ *Gregorius* in hom. (21. ut supra.) Vel stola candida coopertus apparuit, quia festivitatis nostræ gaudia nuntiavit: candor etenim vestis, splendorem nostræ denuntiat solemnitatis. *Hieronymus* (super *Erat quippe magnus*) Vestis etiam candida vera lætitia est, hoste depulso, regnoque adepto; Rege pacis quæsito, & invento, & nunquam dimisso. (3) Igitur juvenis formam resurrectionis timentibus mortem ostendit. Quod autem obstupuerunt, id est quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit, Deus diligentibus se: „ Esai. 64.

Sequitur: *Qui dicit illis, Nolite expavescere. Gregorius* in hom. (21. ut supra.) Ac si dicat: Paveant illi qui non amant adventum supernorum civium; pertimescant qui carnalibus desideris pressi, ad eorum societatem pertingere se posse desperant: vos autem cur pertimescitis, quæ vestros concives videtis? *Hieronymus* (super *Qui dicit illis*) Non enim est timor in caritate. Quid expavesceret quæ invenerunt quem quæserunt? *Gregorius* in hom. (21. ut supra.) Sed jam quid Angelus subiungit audiamus: *Jesum quæritis Nazarenum.* Jesus Latino eloquio salutaris, id est salvator, interpretatur. At vero tunc multi Jesus dici poterant, nec tamen substantialiter, sed nuncupative: ideo & locus subiungitur, ut de quo Jesu dictum sit manifestatur, Nazarenum; & causam protinus subdit, *Crucifixum. Theophylactus* (Marc. ult. à prin.) Non enim erubescit cruce: in hac namque salus hominum est, & beatorum principum. *Hieronymus* (ubi supra.) Radix autem

(1) *Nicolai corrigi* ad Dominum per sancta &c. (2) *Al. omittitur* spatio. (3) *Al.* Hoc igitur innuens.

Ex edit. P. NICOL. (a) Immo prius Chrysológus ubi supra, circa medium paulo plenius quam hic; nisi quod appendicem illam non habet, Unde juvenem, non senem &c.

(b) Vel Chrysológus immediate post prædicta, quantum ad primam partem, sed quibusdam aut sequentem interjectis.

amara crucis evanuit; flos vite cum fructibus erupit; id est, qui jacuit in morte, surrexit in gloria: unde addit: *Surrexit, non est hic. Gregorius* in hom. (21. ut supra.) *Non est hic dicitur, per presentiam carnis, qui tamen nesciam deerat per presentiam maiestatis. Theophylactus* (aliqui. a. prin. Comment.) Et quasi dicat: *Vultis certificari de eius resurrectione? subdit: Ecce locus ubi posuerunt eum;* propter hoc enim & revolverat lapidem, ut locum ostenderet. *Hieronymus* (ubi supra.) Ostenditur autem immortalitas mortalibus ad gratiarum actionem debitam, ut intelligamus quid fuerimus, & sciamus quid futuri erimus. Sequitur: *Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia procedet vos in Galileam.* Mulieribus dicitur ut nuntient Apostolis: quia per mulierem mors annunciata est, per mulierem vita resurgens. Dicit autem specialiter, *Et Petro:* quia se indignum iudicavit discipulatu, cum ter negavit magistrum; sed peccata præterita non nocent, quando non placent. *Gregorius* (in hom. 21. ut supra.) Si autem hunc Angelus non nominatim exprimeret, qui Magistrum negaverat, venire inter discipulos non auderet. Vocatur ergo ex nomine, ne desperaret ex negatione. *Augustinus* de Conf. Evan. (Lib. 3. cap. 25.) Quod autem dicit, *Procedet vos in Galileam, ibi eum videbitis. sicut dixit vobis:* videtur hoc sonare, quod Jesus non erat demonstraturus se discipulis post resurrectionem nisi in Galilæa; quam demonstrationem nunc ipse Marcus commemoravit: quod enim dixit: *Mane prima sabbati apparuit Mariæ Magdalene. . . . Post hæc duobus tantibus in villam:* factum est in Hierusalem ipso die resurrectionis: deinde venit ad ultimam manifestationem, quam factam scimus in monte Oliveti non longe à Hierusalem. Numquam igitur commemorat Marcus impletum quod ab Angelo prænuntiatum esse testatur. Matthæus vero nullum alium locum omnino commemorat, ubi discipuli, postquam surrexit, viderint Dominum, nisi in Galilæa, secundum Angeli prædictionem. Sed cum non sit expressum quando id futurum esset, utrum primum antequam alibi ab eis visus esset; idque ipsum quod discipulos Matthæus dicit (1) iisse in Galileam in montem, non exprimit diem, nec narrandi ordinem; non adversarius quidem Matthæus narrationibus ceterorum; sed dat (2) eas intelligendi, atque accipiendi locum. Verumtamen quod Dominus non ibi primum se demonstraturus erat, sed in Galilæa, ubi postea visus est, se videndum

(1) Al. esse. (2) Al. eis.

Ex edit. P. Nicol. (a) Vel Chrysologus, ut jam supra: quod ceteris huiusmodi indicibus est applicandum.

mandavit, quemvis fidelem facit intentum ad quærendum in quo mysterio dictum intelligatur. *Gregorius* (in hom. 21. ut supra.) Galilæa namque transmigrationi interpretatur: iam quippe Redemptor nossemus passione ad resurrectionem, à morte ad vitam transmigraverat: & nos resurrectionis eius gloriam post læti videbimus, si modo à vitiis ad virtutum celsitudinem transmigramus. Qui ergo in sepulcro nuntiatur, in transmigratione ostenditur: quia is qui in mortificatione carnis agnoscitur, in transmigratione mentis videtur. *Hieronymus* (super *Procedet vos in Galileam.*) Brevis ergo sententia in syllabis, sed ingens in quantitate promissio. Ibi est gaudii nostri fons, & salutis æternæ origo præparata. Ibi congregantur dispersos, & sanantur contriti corde. *Ibi*, inquit, *eum videbitis*, sed non sicut vidistis. *Augustinus* de Conf. Evan. (Lib. 3. cap. ult.) Significatur etiam quod gratia Christi de populo Israel erat transmigratione ad Genes, à quibus Apostoli nullo modo prædicantur suscipiuntur, nisi eis viam Dominus in eorum cordibus præveniens præparasset; & hoc est, *Procedet vos in Galileam: ibi eum videbitis;* id est, ibi membra eius invenietis.

Sequitur: *At illæ erant fugerunt de monumento:* inoaserat enim eas tremor, & pavor. *Theophylactus* (super *Inoaserat eas.*) Id est stupor propter visionem Angeli, & admirationem resurrectionis. *Severianus*. (a) Angelus quidem sedet in monumento, de monumento fugiunt mulieres: quia ille de cælesti substantia confidit, turbantur istæ de conditione terrena. Sepulcrum, qui mori non potest, timere nescit; mulieres autem & de presenti facto tremunt, & sepulcrum ut mortales adhuc mortaliter expavescunt. *Hieronymus* (ubi supra.) Hoc etiam dicitur de futura vita, in qua fugiet dolor, & gemitus. Imitantur enim mulieres ante resurrectionem omnia quæ faciunt post resurrectionem, fugientes mortem, & pavorem.

Sequitur: *Et nemini quicquam dixerunt, timebant enim.* *Theophylactus* (super *Habebat eas timor.*) Aut propter Judæos, aut timore visionis detentæ tacebant hoc quod audierant. *Augustinus* de Con. Evan. (Lib. 3. cap. 24.) Quæri autem potest quemadmodum hoc dicat Marcus, cum dicat Matthæus: „Et exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio magno, currentes nuntiare discipulis eius: „ nisi intelligamus ipsorum Angelorum nemini ausas fuisse aliquid dicere, id est respondere ad ea quæ ab illis

illis audierant; aut certe custodibus quos jacentes viderunt: nam illud gaudium quod Matthæus commemorat, non repugnat timori de quo Marcus dicit: debuimus enim utrumque in illarum animo factum intelligere, etiam si Matthæus de timore non diceret. Cum vero ipse dicat, „Exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio magno, „ nihil ex hac re quæstionis remanere permittit. (1) *Severianus*. Signanter etiam dicitur, quod *nemini quicquam dixerunt:* quia mulieribus audire, non loqui datum est; discere, non docere.

(b) *Augustinus* de Conf. Evang. (Lib. 3. cap. 25.) Jam post resurrectionem quemadmodum apparuit Dominus considerandum est: dicit enim Marcus: *Surgens autem mane prima sabbati apparuit primo Mariæ Magdalene, de qua eiecerat septem dæmonia.* *Beda* (super *Apparuit primo Magdalene.*) Hæc apparitio quomodo, & ubi facta sit, Joannes plenissime docet. Surrexit autem Dominus mane de monumento, in quo sero jam factus erat depositus, ut adimpleretur illud Psalmistæ Psal. 29. „Ad vesperam dormavit, & ad matutinum lætitia. *Theophylactus* (super *Cum surrexisset Jesus.*) Vel aliter. Quod dicit, *Surgens Jesus*, ibi puncta: deinde dicas: *Mane prima sabbati apparuit primo Mariæ Magdalene.* *Gregorius* in hom. (21. in Evang.) Ut enim Samson media nocte non solum de Gaza exiit; sed etiam portas tulit; sic & Redemptor nossemus ante lucem resurgens non solum liber de inferno exiit, sed ipsa etiam inferni claustra destruxit. De Maria autem hic Marcus septem dæmonia ejecta fuisse testatur: & quid septem dæmonia, nisi universa vitia significant? Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero universitas figuratur. *Theophylactus* (super *De qua exierant septem dæmonia.*) (a) Septem ergo dæmonia Maria habuit, quæ universis vitiis plena fuit. Aut septem dæmonia septem virtutibus spiritus contrarios dicit, ut spiritus absque timore, absque sapientia, absque intellectu, & quæcumque alia donis spiritus Sancti opponuntur. *Hieronymus* (super *Procedet in Galileam.*) Ei autem de qua eiecerat septem dæmonia, primo ostenditur: quia meretricis, & publicani præcedent synagogam in regnum Dei; ut latro præcessit Apostolos. *Beda* (ubi supra.) In principio etiam mulier inductrix culpæ viro fuit; nunc quæ mortem primo gustavit, re-

vertit. *S. Thom. Oper. Tom. VIII.* Surrexit autem Dominus primo die post resurrectionem, in quo sero jam factus erat depositus, ut adimpleretur illud Psalmistæ Psal. 29. „Ad vesperam dormavit, & ad matutinum lætitia. *Theophylactus* (super *Cum surrexisset Jesus.*) Vel aliter. Quod dicit, *Surgens Jesus*, ibi puncta: deinde dicas: *Mane prima sabbati apparuit primo Mariæ Magdalene.* *Gregorius* in hom. (21. in Evang.) Ut enim Samson media nocte non solum de Gaza exiit; sed etiam portas tulit; sic & Redemptor nossemus ante lucem resurgens non solum liber de inferno exiit, sed ipsa etiam inferni claustra destruxit. De Maria autem hic Marcus septem dæmonia ejecta fuisse testatur: & quid septem dæmonia, nisi universa vitia significant? Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero universitas figuratur. *Theophylactus* (super *De qua exierant septem dæmonia.*) (a) Septem ergo dæmonia Maria habuit, quæ universis vitiis plena fuit. Aut septem dæmonia septem virtutibus spiritus contrarios dicit, ut spiritus absque timore, absque sapientia, absque intellectu, & quæcumque alia donis spiritus Sancti opponuntur. *Hieronymus* (super *Procedet in Galileam.*) Ei autem de qua eiecerat septem dæmonia, primo ostenditur: quia meretricis, & publicani præcedent synagogam in regnum Dei; ut latro præcessit Apostolos. *Beda* (ubi supra.) In principio etiam mulier inductrix culpæ viro fuit; nunc quæ mortem primo gustavit, re-

(1) Al. Theophylactus. (2) Al. non femina, sed Ecclesiam gustans. (3) P. Nicolajus optime restituit ex Chrysologo ut ibi sicut femina taceat, hic ut Ecclesia &c.

Ex edit. P. Nicol. (a) Hanc appendicem prius quasi Theophylacti notationem editionis aliæ dabant, cum sit ex Gregorio, ut in Breviario ipso legitur, *Ipsæ autem Nicolaj Theophylacti indicem illis verbis præmittit.* Aut septem dæmonia.

surrectionem primo videt, ne perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret: & quæ viro culpam transfuderat, transfudit & gratiam: nam sequitur: *Illæ vadens nuntiavit his qui cum eo fuerant, lugentibus, & flentibus.* *Hieronymus* (ubi supra.) Flent, & lugent qui nondum viderunt; sed non post multum consolabuntur: „ Beati enim qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur: „ *Math. 5. Beda* (ubi supra.) Recte autem hæc mulier, quæ læticiam dominicæ resurrectionis prima nuntiavit, à septem dæmonibus curata esse memoratur, ne quicquam digne penitens de admissorum venia desperaret, & ut ubi abundavit peccatum, superabundasse & gratia monstraretur. *Severianus*. Nuntiat autem Maria; sed jam (2) non sceminam, sed Ecclesiam gustans: (3) ut supra sicut femina tacebat, hic in Ecclesia & nuntiet, & loquatur.

Sequitur: *Et illi audientes quia viveret, & visus esset ab ea, non crediderunt.* *Gregorius* (in hom. 26. in Evang.) Quod resurrectionem dominicam discipuli tarde crediderunt, non tam illorum infirmitas quam nostra, ut ita dicam, futura firmitas fuit. Ipsa namque resurrectio illis dubitantibus per multa argumenta monstrata est: quæ dum nos legentes agnoscimus, quid aliud quam de eorum dubitatione solidamur?

Sequitur: *Post hæc autem duobus ex his ambulans ostensus est in alia effigie tantibus in villam.* *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. ult.) De istis duobus, quorum unus erat Cleophas, Lucas totum narrat, sed Marcus hic breviter perstringit. Castellum quippe illud de quo Lucas loquitur, non absurde accipimus etiam villam potuisse appellari: & in codicibus quidem Græcis magis agrum invenimus quam villam; agri autem nomine non castella tantum, verum etiam municipia, & colonie solent vocari extra civitatem, quæ quasi caput, & mater est ceterarum. Quod autem ait Marcus, „eis in alia effigie Dominum apparuisse, hoc Lucas dicit, quod „eorum oculi tenebantur, ne agnoscerent eum, „ Oculis enim eorum acciderat aliquid, quod ita manere permittimus est utque ad fractionem panis. *Severianus*. Nemo autem putet Christum sua resurrectione sui vultus effigiem commutasse. Sed mutatur effigies dum efficitur ex mortali immortalis, ut hoc sit acquisivisse vultus gloriam, non vultus substantiam perdidisse. Duobus autem visus est, quia

(1) Al. Theophylactus. (2) Al. non femina, sed Ecclesiam gustans. (3) P. Nicolajus optime restituit ex Chrysologo ut ibi sicut femina taceat, hic ut Ecclesia &c.

Ex edit. P. Nicol. (a) Hanc appendicem prius quasi Theophylacti notationem editionis aliæ dabant, cum sit ex Gregorio, ut in Breviario ipso legitur, *Ipsæ autem Nicolaj Theophylacti indicem illis verbis præmittit.* Aut septem dæmonia.

duobus populis, id est Gentibus, & Judæis resurrectionis fides prædicanda monstratur. Sequitur: *Et illi cunctis nuntiaverunt ceteris; nec illis crediderunt.* (2) Quod Marcus dicit, *Nuntiaverunt ceteris; nec illis crediderunt;* cum Lucas dicat, quod jam inde loquebantur vere resurrectisse Dominum, & Simoni apparuisse; quid intelligendum est, nisi aliquos ibi fuisse qui nolent credere? *Theophylactus* (à med. Comment. in 1.7. cap.) Non enim de undecim Apostolis hoc dicit, sed de quibusdam aliis quos ceteros nominat. *Hieronymus* (ubi supra.) Mystice autem intelligitur, quod fides hic laborat agens activam vitam, illic contemplativa securi visione regnat: hic per speculum contuemur imaginem, illic facie ad faciem videbimus veritatem: unde *ambulantibus*, id est laborantibus *stans est in illa effigie*; & nuntiantibus non est creditum, dum, sicut Moyses, viderant quod non sufficiebat ei, qui dicit *Exod. 33.* *Obsecro mihi temetipsum:* oblitus enim carnis suæ, postulat in vita quod illa speramus in futura. *ambulantibus ubi quibusdam morantibus* (c) *Glossa.* (b) Complurimum evangelicam narrationem Marcus; novissimam apparitionem, qua Christus post resurrectionem discipulis apparuit, commemorat, dicens: *Novissime autem recumbentibus illis undecim apparuit.* *Gregorius* (in homil. 29. in Evang.) Notandum autem quid Lucas in Actibus cap. 1. referat dicens: *Conversens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent;* & post pauca: *Videntibus illis elevatus est.* Comedit enim, & ascendit, ut videlicet per essetam comestitionis veritas patet: *carnis*; unde & hic dicitur, quod recumbentibus illis novissime apparuit. *Hieronymus* (super *Novissime recumbentibus*). Apparuit autem undecim simul congregatis, ut omnes testes sint, (1) & eharrem omnibus quod communiter viderunt, & audierunt. *Novissime apparuit* Sequitur: *Et exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia his qui viderant resurrectisse, non crediderunt.* *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 25.) Quomodo autem novissime hoc factum est? Novissimum quippe illud est quod Dominum in terra Apostoli viderunt, quod factum est quadragesima die post resurrectionem ejus. Numquid nam tunc exprobratus erat, quod non credidissent eis qui eum viderant resurrectisse, quando jam & ipsi post resurrectionem testes eum viderant? Restat igitur ut intelligamus, nunc Marcum breviter commemorare voluisse, & jam dixisse, *Novissime* me, quia ipso die hoc novissimum fuit jam incho-

(1) *Al. enarratione.* (2) *Al. id est Christus.* *Ex edit. P. Nicol. (a) Beda. (b) Non est Glossa que nunc extat.*

piante nocturno tempore, posteaquam discipuli de castello redierunt in Hierusalem, & invenerunt, sicut dicit Lucas, undecim, & qui cum illis erant colloquentes de resurrectione Domini. Sed erant ibi utique non credentes. His ergo, sicut Marcus dicit, discumbentibus, & adhuc inde, sicut dicit Lucas loquentibus, fixat in medio eorum Dominus, & ait illis, Pax vobis, sicut Lucas, & Joannes dicunt. Verbis itaque Domini, quæ tunc eum locutum esse discipulis, Lucas, Joannesque dixerunt, interponitur & illa exprobratio de qua Marcus hic dicit. Sed hoc rursus movere, quomodo discumbentibus undecim, dicit apparuisse Marcus, si illud tempus est diei dominici jam noctis initio; cum aperte Joannes dicat, non cum eis fuisse Thomam, quem credimus exiisse inde antequam Dominus ad eos intraret, posteaquam illi duo redeuntes de castello cum ipsis undecim collouti sunt, sicut apud Lucam invenitur. Sed Lucas in sua narratione dat locum, quo possit intelligi dum hæc loquerentur, prius inde exiisse Thomam, & postea Dominum intrasse. Marcus autem qui dicit, *Novissime discumbentibus illis undecim apparuit*, etiam Thomam illic fuisse cogit fateri: nisi forte, quanvis uno absente, undecim tamen voluit appellare, quia eadem tunc apostolica societas hoc numero nuncupabatur, antequam Matthias in locum Judæ subrogaretur. Aut si hoc durum est accipere, illud accipiamus, post multas demonstrationes ejus, eum novissime recumbentibus undecim apparuisse, (2) id est ipsa quadragesima die. Et quoniam jam erat ab eis ascensus in cælum, hoc eis illo die magis exprobrare voluisse, quia his qui audierant eum resurrectisse non crediderant, antequam ipsi eum viderent; cum utique post ascensionem suam prædicantibus Evangelium etiam Gentes quæ non viderunt fuerant credituræ: post illam quippe exprobrationem ait idem Marcus: *Et dixit eis: Bantes in mundum universum:* & infra: *Qui vero non crediderunt, condemnabitur.* Hoc ergo prædicatur, nonne ipsi primitus fuerant objurgandi, qui antequam Dominum viderent, non crediderunt eis quibus prius apparuisset? *Gregorius* (in hom. 29. in Evang.) Ideo etiam tunc Dominus discipulos increpavit, cum corporaliter reliquit, ut verba quæ recedens diceret, in corde audientium archius impressa remaneret. *Hieronymus* (ubi supra.) Exprobrat autem incredulitatem, ut succedat credulitas; exprobrat duritiam cordis, ut succedat cor carnetum caritate plenum. *Gregorius* (in hom. 29. in Evang.) Increpata

igitur eorum duritia, quid admonendo dicat audiamus: sequitur enim: *Bantes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creature.* Omnis creature nomine significatur homo: omnis enim creaturæ aliquid habet homo: habet namque comatone esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Omni enim creaturæ prædicatur Evangelium, cum soli homini prædicatur: quia ille videlicet docetur, propter quem in terra cuncta erecta sunt, & à quo omnia per quamdam similitudinem (1) aliena non sunt. Potest etiam omnis creaturæ nomine: omnis natio Gentium designari: ante enim dictum fuerat *Marth. 10.* *In viana Gentium ne abieritis;* nunc autem dicitur: *Prædicate Evangelium omni creature:* ut scilicet prius à Judæa Apostolorum repulsa prædicatio, tunc nobis in adiutorium fieret, cum hæc illa ad damnationis suæ testimonium superbe repulisset. *Theophylactus* (inter med. & fin. Comment.) *Vel omni creature*, id est credenti, & non credenti. Sequitur *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Non enim sufficit credere: nam qui credit, & nondum est baptizatus, sed catechumenus, nondum est perfectè salutem adeptus. *Gregorius* (in homil. 29. in Evang.) Fortasse autem uniusquisque apud semetipsum dicat: Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus teneat. Vera etenim fides est quæ in hoc quod verbis dicit, operibus non contradicit. *Theophylactus* (inter med. & fin. Comment.) *Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Beda. Quid adhuc hic dicemus de parvulis, qui per veritatem adhue credere non valent? Nam de majoribus nulla quæstio est. In Ecclesia enim Salvatoris per alios parvuli credunt, sicut ex aliis ea quæ illis in baptismo peccata remittuntur poterunt. *Theophylactus* (inter med. & fin. Comment.) *Signa autem eos qui crediderunt, hæc sequentur.* In nomine meo demonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent. *Theophylactus* (paulo ante fine. in Commen.) Hoc (2) est, dispersent intellectuales, sicut illud *Lucæ 10.* *Calcabitis super serpentes, & scorpiones;* intellectualiter intelligitur. Potest autem intelligi de sensibilibus serpentibus, sicut etiam Paulus à vipera nullum habuit nocumentum. Sequitur: *Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Multa talia facta in historiis legimus: multos namque venena bibita Christi munia signaculo lædere non valebant. Sequitur: *Super egros manus imponent, & bene habebunt.* *Gregorius* (in hom. 29. in Evang.)

Numquid autem quia ista signa non faciunt, minime credimus? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt: ut enim fides presereret credentium, miraculis fuit nutrienda: quia & nos cum arbuta plantamus, tamdiu eis aquam fundimus, quousque ea in terra convaluisse videamus; (3) at si semel radice fixerint, à rigando cessamus. Habemus de his signis, atque viratibus quæ adhuc subtilibus considerare debeamus. Sancta quippe Ecclesia quotidie spiritaliter facit quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat: nam sacerdotes ejus cum per exorcismi gratiam manus credentibus imponunt, & habitare malignos spiritus in eorum membris contradicunt, quod aliud faciunt, nisi demonia ejiciunt. Et fideles quique, qui jam secularia verba derelinquant, sancta mysteria insonant, linguis loquuntur novis; qui dum bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt; & dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem pravam minime pertrahuntur, mortiferum eis quod bibunt, sed non eis nocebit qui quoties proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt, dum exemplo suæ operationis illorum vitam roborant, super egros manus imponunt, ut bene habeant. Quæ nimirum miracula tanto majora sunt quanto spiritualia, & quanto per hæc non corpora, sed anima suscitantur. *Augustinus* (in homil. 29. in Evang.) *Hieronymus* (super *Bantes in mundum*) Dominus Jesus qui de cælo descendit ad liberandam infirmitatis nostræ naturam, ipse etiam super cælos ascendit: unde dicitur: *Et Dominus qui de cælo descendit, assumptus est in cælum.* *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. ult.) In quosdam videtur ostendere, novissimum cum illis in terra præmissum habuisse sermonem; quamvis non omnimodo ad id (4) coarctari videatur: non enim ait, Postquam hæc locutus est eis: unde admittit, si necessitas cogeret, non illam fuisse novissimam locutionem, sed ad omnia quæ cum eis omnibus illis diebus locutus est, posse pertinere quod dictum est: *Postquam locutus est eis, assumptus est in cælum.* Sed quia ea quæ supra diximus, magis suadent novissimum diem fuisse; ideo post præmissam locutionem quem Marcus commemoravit, adjunctis etiam illis verbis quæ commemorantur in Actibus Apostolorum, credendum est assumptum esse Dominum in cælum. *Gregorius* (in hom. 29. in Evang.) In veteri testamento cognovimus, quod Elias sit rapus in cælum. Sed aliud est cælum æthereum, aliud cælum areum. (5) Cælum quippe

(1) *Al. alia non sunt, itam aliena sunt.* (2) *P. Nicolajus ex Theophylacto ponit* Hoc est dispersent vel sensibiles, vel intellectuales. (3) *Al. & si.* (4) *P. Nicolaj legi* coarctare nos. (5) *In editione Romana an. 1570. & Veneta 1593. desit* Cælum quippe areum terræ est proximum,



quippe aereum terra est proximum. In caelum  
itaque aereum Elias sublevarus est, ut in se-  
cretam quarundam regionem tetrae repente duceret-  
retur, ubi in magna jam carnis, & spiritus  
quiete viveret; quoad usque ad finem mundi  
redeat, & mortis debitum solvat. Notandum  
quoque est, quod Elias in curru legitur ascen-  
disse, ut videlicet aperte illis demonstraretur  
quia homo purus adjutorio indigebat alieno.  
Redemptor autem noster non curru, non Ange-  
lis sublevarus legitur: quia qui fecerat om-  
nia; super omnia sua virtute ferebatur. Con-  
siderandum vero nobis est, quod Marcus subdit,  
*Et sedet à dextris Dei*, cum Stephanus dicat  
Act. 7. „Video caelos apertos, & Filium homi-  
nis stantem à dextris Dei.“ Sed sedere judi-  
cantis est, stare vero pugnantis, vel adjuvantis.  
Stephanus ergo in laboris certamine positus stan-  
tem vidit, quem adiutorem habuit; sed hunc  
post assumptionem Marcus sedere describit: quia  
post assumptionis suae gloriam iudex in fine vide-  
bitur. *Augustinus* de Symbolo. (a) Sensionem igitur  
istam non accipiamus quasi sit in humanis  
membris positus; tanquam Pater sedeat in sinis-  
tra, & Filius sedeat à dextris; sed ipsam dex-  
teram intelligimus potestatem quam accepit ille  
homo à Deo, ut veniat iudicaturus qui primo  
venerat iudicandus. Sedere enim, habitare in-  
telligitur; quomodo dicimus de quocumque ho-  
mine. In illa patria sedet per tres annos: sic ergo  
credite habitare Christum in dextera Dei Patris.  
Beatus enim est, & habitat in beatitudine, quae  
dextera Patris vocatur: ibi enim omnis dextera  
est, quia nulla est ibi miseria.

Sequitur: *Illi autem profecti predicaverunt  
ubique, Domino cooperante: & sermonem confir-*

*Ex edit. P. Nicol. (a) Nempe Lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 7. paulo post initium  
capituli quoad priorem appendicem, sed Lib. 1. cap. 4. statim ab initio quoad posteriorem.*

**F I N I S.**

*mante sequentibus signis. Beda (super illud, Do-  
mino cooperante.) Nota, quod Marcus Evange-  
lita Evangelium suum quanto inchoavit tardius,  
tanto in longinquiora tempora scribendo porre-  
xit: ab initio enim evangelicae praedicationis  
quod à Joanne factum est, cepit, & ad illud  
usque tempus narrando pervenit quo Apostoli  
idem Evangelii verbum per totum orbem se-  
minaverunt. *Gregorius* (hom. 29. ut supra.) Quid  
autem in his considerandum est nisi quod praec-  
eptum obedientia, obedientiam vero signa secu-  
ta sunt? Praeperat enim Dominus: *Euntes in  
mundum universum, predicate Evangelium: &*  
*in Actibus cap. 1. „Eritis mihi testes usque ad  
extremum terre.“ Augustinus ad Hefychium*  
*(epist. 80.)* Quo autem pacto ab Apostolis est praed-  
icatio ista completa, quando usque adhuc sunt  
gentes in quibus modo cepit, & in quibus non-  
dum cepit impleri? Non utique hoc à Domino  
sic mandatum est Apostolis, tamquam ipsi soli  
quibus tunc loquebatur, tantum munus fuerint  
impleruri; sed sicut eis solis videretur dixisse  
Matth. ult. „Eccae ego vobiscum sum usque  
ad consummationem saeculi:“ quod tamen  
cum universae Ecclesiae promississe, quae, aliis  
morientibus, aliis nascentibus, hic usque in sae-  
culi consummationem futura est, quis non in-  
telligat? *Theophylactus.* (cir. finem Comm.)  
Sciendum est autem & hic, quod sermo per ope-  
ra confirmatur, sicut in Apostolis tunc operatio-  
nes confirmabant sermonem, sequentibus signis.  
Fiat autem, ó Christe, ut nostri sermones quos  
de virtute dicimus, per opera confirmentur, &  
actus; ut tandem simus perfecti te cooperante in  
omnibus verbis, & operibus: quia te decet &  
sermonum, & operum gloria. Amen.*

